



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 60. Concordia Pontificis cum Columnensibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

tionis pacta inire, arcemque Borbonio Sæcul. XVI.
 Duci die vigesima quarta Julii cedere A.C. 1526.
 compellebatur.

§. LX.

*Concordia Pontificis cum Columnen-
sibus.*

Præterea duo sat funesti eventus fœderatorum consilia vix non penitus evertabant. Primo enim Columnenses in Romana urbe tumultus suscitabant, eo tempore, quo summus Pontifex nihilo minus suspicabatur; redierat enim Clemens Papa cum illis in gratiam, pacis conciliatore Hugone Moncada, qui Proregis Neapolitani vices in regno agebat; hujus igitur opera annuit Pontifex, ut Vespasianus Columna Prosperi filius, ac hujus familiæ caput, cum illius probitas esset perspecta, ad reddendam concordiam Romam veniret. Firmantur die vigesima secunda Augusti pacis fœdera, hisce legibus. I. Columnensium fautores Anagnia urbe, aliisque arcibus a se occupatis excedent. II. Eorum copiæ ab Ecclesiæ ditionibus revocabuntur, eis tamen liberum erit, in Neapolis Regno Cæsaris vexilla sequi; III. adimpletis hisce conditionibus Columnenses bonis suis tranquille

Sæcul. XVI. fruantur, eosque summus Pontifex ad
A.C. 1526. versus Urfinos tuebitur.

§. LXI.

*Columnensium perfidia adversus
 Papam.*

Insuperhabita hac conventionē Vespasianus evoluto circiter Mense secreta cum Moncada fovit consilia, consensitque, ut Pompejus Columna ejusdem Patruelis die decima nona, aut forte vigesima Septembris noctu cum octingentis equitibus, ac tribus peditum millibus urbi appropinquaret; eadem igitur die Cæsar Philletinus, Columnensium familiæ addictissimus, qui hisce copiis præerat, tres urbis portas occupavit. Hujus perfidiæ fama primum ad summi Pontificis aures delata est, cum per quemdam Prælatum edoceretur, quod jamjam Columnensium copiæ Romanam urbem infestis armis invasissent, eisque Vaticani porta fuisset aperta. In hisce rerum angustiis Papa nil reliquum habebat, quam ut ad arcem S. Angeli sese reciperet, quam nonnisi ægerrime attigerat, Columnensibus illum ingenti furore insequentibus.

*Spond. ad
 ann. 1526.
 n. 7.*

§. LXII.